

1409

⟨FORCIA ADVERDIS OPPONITE  
PECTORA REBUS⟩

**I**AM, quod tertium, restaret nostros presentes determinantes laudum preconiis extollere, quibus auditis ceteri fervencius studio forsitan insisterent, quo mediante ad honorem similem valerent facilius pervenire. Sed quia ex ipsorum determinacione succincta michi via laudandi precluditur, cum non sciam certitudinaliter, an sint iusti, ideo non assertive ipsorum laudi cupio incumbere iuxta dictum Oracii<sup>1</sup> in Epistola:

„Quales commendas, aspice, ne mox  
incuciant aliena tibi peccata pudorem.“

Similiter iuxta dictum Senecae<sup>2</sup> De moribus: „Neminem cito laudaveris, neminem cito vituperaveris.“ Que verba ⟨caucionem⟩ ori meo inponunt, ne accelerem laudes presencium baccaliorum propallare. Ne tamen omnino sic incogniti discederent et forsitan laude privati, quam querebant, a ceptis studiorum laboribus resilirent, compellor aliqua in medium proponere, ut virtus non lateat, sed ceteris prodeat in exemplum, ut ipsi ac singuli spem tamquam anchoram teneant laboribus insistendo. Nam iuxta dictum Senecae<sup>3</sup> „spes premii solacium prestat laboris.“ Ad ipsorum igitur hortacionem parvulam verba michi brevia occurrerunt: Forcia adversis opponite pectora rebus. Hec verba scribit Oracius<sup>4</sup> poeta eximius, que ad nostros baccalios specialiter possunt converti, quibus auditis tenderent illicitis contraire. Quare ego tamquam minimus nuncius alme nostre facultatis ac allumpnus preceptum implere cupiens ad vos hortacionem defero dicens: Forcia adversis opponite pectora rebus.

Venerabiles patres, magistri ac domini! Vestra nolit venerabilitas mirari, quod ipsos verbo consultivo sive imperativo moneo, tamquam non fortiter se malis opposuissent, sed ut non retro gradientes tamquam cancer grandiora accederent vicia propellentes. Nam, heu, quam plurimi propter exercitacionem gravem virtutes deserunt, ignorantes, quod virtus<sup>5</sup> est circa difficilima. Propter

quod ad ipsos dicitur: Forcia adversis opponite pectora rebus, quasi diceretur: Vicistis gravia, sed restant graviora; idcirco forcia adversis opponite pectora rebus.

Sed dicit aliquis: „Quid vicerunt?“ Pro ipsis respondeo dicens: Vicerunt inconstanciam, diu in universitatis nostre studio permanentes. Nam octo annis continuis diligenter didicerunt, non sicut filius inconstancie, qui non valens illico omnem scienciam capere postea humanam naturam voluit exuere et asiniam induere, ignorans, quod paulatim sciencia cumulatur, ut Alanus<sup>8</sup> peritissimus in suis Probleumatibus profitetur dicens:

„Non opus est sompno Syrenes ingredienti  
nec sibi, qui studio falsa cavere velit.

Sepe stilum vertit, qui versum fingere debet.“

Unde non mirum, quod ingeniosi sepius obtusos inscienciis non excedunt, quia iuxta dictum Boecii<sup>7</sup> De disciplina scolarium „diligencia cuiuslibet operis obtusitas permollitur“. Unde et Facetus<sup>8</sup> dicit:

„Et durum lapidem gutta cadendo cavat.“

Heu, sed multi sunt, qui constanciam relinquentes inconstancie subditi studia percurrerunt. De quibus dicit Alanus<sup>9</sup> in Probleumatibus:

„Non discunt, quicumque scholas ubicumque frequentant,  
sed veniunt plures, ut videantur ibi.“

Non sic autem nostri determinantes, sed constanciam tenentes cupiunt alciora fortiter amplexari. Propter quod ipsis proponitur: Forcia adversis opponite pectora rebus.

Secundo vicerunt torporem labore diligenti; ideo promoveri licite meruerunt, non sicut quidam, de quibus dicit Occultus:<sup>10</sup>

„Cattis esse pares tales dico esse scholares,  
qui prandere volunt, sed pisces capere nolunt.“

Sed quia nostris restat currere ad graviora, ideo ipsis verbum proponitur: Forcia adversis opponite pectora rebus.

Sed forsitan aliquis michi obiceret: „Non tibi creditur, quod dicis, nam recepisti, ut laudares.“ Obicienti dicerem: Non festina, ascende paulatim, ut per singula discurremus! Nam adhuc multa in ipsorum actibus restant declaranda. Respice duos! „Accipe Petrum! Quid sentis de Petro?“ queris, „estne audax?“ Respondeo: Maxime. Dicis: „Qualiter?“ Sicut pauper, qui vadens inter latrones nihil pavet, ut dicit Pauper Henricus:<sup>11</sup>

„Quid faciet vacuus coram latrone viator?

Letus et intrepidus fundet in astra melos.“

Dicis: „Estne sic de Petro?‘ Dico: Ut tu vis. Dicis: „Da exemplum!‘ Audi me! Petrus<sup>12</sup> amputavit auriculam dextram. „Estne sic?‘, dicis tu, „Petrus<sup>13</sup> fugit ab eo, quin etiam vocem ancille expavit‘. Concordemus, ut utrumque sit verum. „Sit ita.‘ Dicamus: Petrus unus amputavit, sed noster Petrus secundus evasit. „Da exemplum!‘ Quando semel, cum in multitudine transiret ad domum quendam propter levia verba cuiusdam layci ceteros relinquens vix spiritum anhelans domum pervenit. Ecce, quam audax! Sed dicis: „Quare ergo versus Henrici male [male] allegasti?‘ Dilecte socie, ne irascaris, versificabo sic:

Quid faciet tremulus coram minante Petraczco?

Tristis ac pallidus dabit in ardua gressus.

Sta contentus! „Dic plus de Petro!‘ Libenter. „Audivitne Kathonem recte?‘ Sic. „Quid?‘ Didicit versum. „Quem?‘

„Virtutem<sup>14</sup> primam puto comperescere ligwam.“

„Fecitne recte?‘ Sic. „Da exemplum.‘ Cum incipit irasci socio, non loquitur ad medium annum. „O quam bene didicit!‘ Si tamen talia per amplius non servabit!

„Descende, rogo, ad Iohannem!‘ Libenter. Si queris, quid sit, quantum homo, rectissime respondebo. „Non michi cura, quantum homo, sed qualis sit, a te requiro.‘ Respondeo: Sanguineus est, saltem secundum barbam. Versus:<sup>15</sup>

„Largus, amans, hilaris, ridens rubeique coloris.“

Exemplum primi: plus promittit dare quam potest solus habere.

De secundo taceo propter dictum Kathonis<sup>16</sup> dicentis:

„Quod pudeat, socios libens celare memento!“

„De tercio quid sentis?‘ Dico: Est hylaris, a quo didicit ab Ovidio<sup>17</sup> De arte dicente:

„Si vox est, canta, si brachia mollia, salta!“

„Salta,<sup>18</sup> exulta, ut talpa non palpa, resulta.“

„Fecitne primum?‘ Omnino. „Estne vox sibi?‘ Optima. „Ergo musicus?‘ Ymo peroptimus, de quo dicit Alanus<sup>19</sup> De planctu nature: „Illic asinus, clamoribus ociosus aures fastidians delicatas quasi per antifrasim organisans barbarismum faciebat in musica.“ Ecce, musicus! „Iam consencio.‘

„Quid de quarto?‘ Ridens est, quia audivit Philosophum<sup>20</sup> 4° Ethicorum dicentem: „Qui neque ipsi dicunt aliquid ridiculum et dicentibus molesti

sunt, agrestes et duri videntur esse, moderate autem ludentes eutrapelli sunt.“ De quarto, ymmo de tercio similiter; si non credis, palpa, respice ipsum! Ridetne, an sye sklyebii yako czrt zelezko nalez? „Adhuc vellem plura scrutari.“  
Ya, bone socie,

dum<sup>21</sup> satis est, cessa, ne te derideat auca.

Sed iam collectim, quid ambobus competit, require! „Bene rogo, dic!“ Libenter. Currebant duo semel simul, scilicet Petrus et Iohannes, et alius discipulus, non Iohannes, sed Petrus, precurrit cicius et venit ad locum. Sed amplius: Petrus<sup>22</sup> et Iohannes ascenderunt in lectorium, ut determinarent ad horam comestionis. Ia, sed adhuc restat graviora transcendere, ideo dicitur: Forcia adversis opponite pectora rebus.

In quibus verbis duo brevissime innuuntur: primo consultiva et utilis hortacio ad moraliter agendum, cum dicitur forcia opponite pectora, secundo fructuosa et finalis probacio ad meritum sumendum, cum dicitur adversis rebus.

Dixi primo, quod tangitur consultiva et utilis hortacio ad moraliter agendum. Revera utile est fortiter laborare, specialiter in moribus et scienciis. Nam sine virtutum operibus premia non donantur iuxta regulam Aristotelis,<sup>23</sup> cum solum virtuosus est premiandus. Et de tali labore dicit Pamphilus:<sup>24</sup>

„Providet et tribuit Deus et labor omnia nobis.“

Et ideo laborandum est fortiter in studiis iuxta documentum Kathonis<sup>25</sup> dicentis:

„Exerce studium, quamvis perceperis artem.“

Ergo ad vos dico, domini: Forcia adversis opponite pectora rebus!

Dixi secundo et brevius, quod in verbis predictis tangitur fructuosa et finalis probacio ad premium seu meritum assumendum, quia resistere adversis rebus. Et recte, cum virtus in adversis probatur, eo quod est circa difficillima,<sup>26</sup> et per consequens sic resistantibus merces condonatur. Unde autor Rudium<sup>27</sup> dicit:

„Non datur extemplo bona post primordia merces congrua, sed rectus premia finis habet.“

Et quia ipsi specialiter in studio diucius laborarunt, ideo merces congrua ipsis debetur. Ergo secundum Philosophum<sup>28</sup> in Yconomica „sua merces est danda“, hoc <est> autem honor et gloria. Ego igitur auctoritate michi etc.

<sup>1</sup> Horatius, Epistulae I 18, 76—77 <sup>2</sup> Seneca, De moribus 76 <sup>3</sup> Non inveni <sup>4</sup> Horatius, Epistulae II 2, 163 <sup>5</sup> Aristoteles, Ethica Nic. II 5, p. 1106 b 31; cf. Hus, Serm. de sanctis 21, 7 (ed. Flajshans, p. 74), Super IV Sententiarum II, dist. 30, 4 (ed. Flajshans, p. 314) <sup>6</sup> Alanus ab Insulis, Liber parabolarum, cap. 3 (PL 210, c. 586 C); cf. Hus, Probetis pociora (p. 31), Instrue preceptis animum (p. 78) <sup>7</sup> Pseudo-Boethius, De disciplina scholarium, cap. 1 (PL 64, c. 1225 C) <sup>8</sup> Non inveni <sup>9</sup> Alanus ab Insulis, op. l., cap. 4 (PL 210, c. 588 D) <sup>10</sup> Non inveni <sup>11</sup> Henricus Septimellensis, Elegia de diversitate fortunae III 171—172 (PL 204, c. 860 B) <sup>12</sup> Cf. Luc. 22, 50 <sup>13</sup> Cf. Luc. 22, 56—57 <sup>14</sup> Catonis Disticha I 3, 1 <sup>15</sup> Claretus, Complexionarius VIII 2 (ed. Flajshans I, p. 218) <sup>16</sup> Catonis Disticha II 7, 1; cf. Hus, Quere quid sit virtus (p. 74) <sup>17</sup> Ovidius, Ars amatoria I 595 <sup>18</sup> Non inveni <sup>19</sup> Non inveni; cf. Hus, Si vultis nichil timere (p. 54), Quodlibet (ed. Ryba, p. 85) <sup>20</sup> Aristoteles, Ethica Nic. IV 14, p. 1128a 7 <sup>21</sup> Cf. Hus, Fulget virtute (p. 92) <sup>22</sup> Cf. Act. 3, 1 <sup>23</sup> Aristoteles, Ethica Nic. IV 7, p. 1123 b 35 <sup>24</sup> Non inveni <sup>25</sup> Catonis Disticha IV 21, 1 <sup>26</sup> = <sup>27</sup> Non inveni <sup>28</sup> Aristoteles, Oecon. I 5, p. 1344 b 3